



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

X. De Cruce & Calamitatibus Ecclesiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

se Adamus, ipsa Eue nomenclatura ostendit. Idem enim nominauit eam uiuificatricem, quia statuetur se fide promissi Seminis, abolita morte, uicturum esse. Et pia est altera quoque appellationis ratio, quia sperauerit Adamus Euam istius promissi Seminis matrem fore.

## X.

DE CRUCE ET  
calamitatibus Ecclesie.

Etsi per promissionem Seminis primi parentis à Deo recepti sunt, tamen uarijs ac ingentibus arumnis in hac uita subijciuntur. Ac omnibus temporibus uera Ecclesia Dei præ reliquo genere humani tristissimis miserijs onerata est.

Causæ igitur istius oneris, quod sustinet Ecclesia, & consolationes opponendæ diuinitus patefactæ, diligenter considerentur, quas in Loco de Cruce & Calamitatibus in Locis Theologicis Philippi, Auditores inueniunt. Ac primum impulsiuas intueamur, quarum prima est Lapsus primorum Parentum, & peccatum commune totius generis humani, propter quod omnes homines uniuersaliter morti corporali, & ceteris arumnis subiecti sunt, ut clarè hic dicitur, Quia contempsisti de ligno & c. reuerteris in terram, unde factus est



tus es. Item Rom. 5. Per peccatum mors intrauit in mundum. Et Rom. 8. Corpus morti destinatum est propter peccatum.

Secunda. Interior immundities nature (uidelicet dubitationes de Deo, securitas, neglectio Dei &c.) quam cum mundus negligat, uult tamen Deus ab Ecclesia agnosci & corrigi, ideoq; durius eam premit.

Tertia. Odium Diaboli rabiosius insidiantis Ecclesie, ut dicitur hic: Serpens mordebit calcaneum eius.

Quarta. Certa delicta Sanctorum in Ecclesia, quae certis poenis plectuntur.

Deinde Sex causae finales calamitatum Ecclesie cogitentur, quarum Prima & principalis est, ut agnoscat iram Dei aduersus sua peccata, & in ea crescat poenitentia, timor Dei, inuocatio, & caeterae uirtutes, ut dicitur: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Sic Adam & Eua sentientes onus calamitatum, quod hic eis imponitur, & postea necem filij Abel spectantes, intellegebant sese admoneri de suo peccato, & tamen norant Deum uelle, ne spem uitae aeternae abijcerent, sed firma fide promissionem de Semine abolituro mortem & peccatum amplecterentur, & certissima spe & suae & Abelis uitae restitutionem expectarent.

Secunda, Vt afflictiones sint testimonia doctrinae

L. n. n.e. 2. T. 6



ne. 2. Timoth. 3. Qui uolunt piè in Christo Iesu uiuere, persecutionem patientur.

Tertia, Vt sint testimonia immortalitatis.

Quarta, Vt efficiamur similes imaginis filij Dei.

Quinta, Vt appareat Sanctos uniuersam obedientiam prestare principaliter propter gloriam Dei.

Sexta, Vt appareat Ecclesiam non humanis consilijs & praesidijs, sed ab ipso filio Dei capite & digne Ecclesiae, colligi, defendi & seruari.

Haec causae nobis semper in conspectu & oculis uersentur, & è regione, Loci praecipuarum consolationum (uidelicet, Neecessitas obediendi Deo, Dignitas Virtutis anteferenda omnibus aerumnis, Bonae conscientia, Exempla filij Dei, Abelis et omnium Sanctorum. Promissiones Dei, quae affirmant Deo placere obedientiam in cruce, & promittunt auxilium & mitigationem in hac uita, & liberationem post hanc uitam, Fides, Inuocatio, Spes auxilij & uitae aeternae) collocentur, quibus mentes magnitudine istius oneris pressas erigamus, ut Deo obediant, nec ei irascantur, uel contra alia Dei praeccepta faciant, sed moderentur dolorem & auxilium, mitigationem, liberationem, & tandem uitam aeternam à Deo expectent.

Ecce Adam quasi unus ex nobis factus, sciens bonum & malum.

Obiura



Obiurgatio figurata, sed tamen tristis, & uehemens, non tantum ideo tunc facta à Deo expulsuro hominem ex Paradiso, ut esset concio pœnitentiæ de agnoscenda ingenti illa ingratitude, qua æqualis Deo esse concupiuerat, sed principaliter, ut sit admonitio, de cauendis in posterum Diaboli insidijs et mendacijs, Eo enim consilio Deus in hac obiurgatione, ipsa, mendacis illius & homicidæ uerba repetit, ut fixum maneat animo Adæ, qua causa & occasione in hæc tot & tantas calamitates inciderit, uidelicet, quod abduci se à uerbo Dei passus sit, et diaboli mendacijs paruerit, & æqualitatem Dei expectauerit. Debet igitur, cum ex ista obiurgatione, tum ex tanta mole pœnarum comitantium, discere Adam cum tota posteritate summam hanc sapientiam, uidelicet uerbo Dei perpetuo adhærendum & credendum esse.

Nec sunt hæc uerba Dei inuidi, aut acerbe insultantis misero Adamo, sed sunt pathetica uerba filij Dei, ostendentis se affici sensu, & συμπάθεια ingentium miseriarum Adami, Q. d. Ach Adam, quam miserabiliter deceptus es à Diabolo, promittente tibi æqualitatem Dei, & summū gradum imaginis, & sapientiæ diuinæ, nunc ex Paradiso eijceris, & non solum priora dona, sed etiam uitam æternam, quam esu ligni uitæ conseruare poteras, amissisti, Eris tamen aliquando similis Deo, cum cruce ac

L 3 morte



morte corpus purgatum renouabitur, ut dicitur  
1. ioh. 3. Cum apparuerit erimus similes ei.

Et collocavit Cherubim:)

Angelus armatus gladio Legem significat, que  
cum sit ministerium mortis & potentia peccati,  
omnes accusat & damnat, & à uita eterna arceat.  
Ut autem primi parentes initio propter peccatum  
ex Paradiso exulare coacti sunt, sic deinceps  
tota Ecclesia & omnes pñ perpetua ex-  
ilia sustinent, ut de hoc primo exilio ge-  
neris humani commonefiamus, & cogi-  
temus ideo filium Dei exulem factum  
esse, ut nos exules in Paradisum  
& cœlestem Patriam reduceret.

## CAPVT QVARTVM.

### LOCI PRÆCIPVI.

- I. De Ecclesia primorum parentum  
& de discrimine ueræ Ecclesie  
Dei, & cœtus hypocritarum.
- II. Cum duæ sint notæ monstrantes  
Eccle-